

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Fabula b  
cum fontibus proximo et primis

Fabula et si uim ueritatis non habeat,  
tamen rationem habet  
ut iuxta eam possit ueritas manifestari.

Referunt, inquit, seculares uirum quemdam fuisse

ut quotiens uirum suarum destitutus amicam  
et nutricem terram impulsu aduersarii contigisset  
de solo surgens magis in aduersarium praeualeret  
ut sic occasio prostrati, occasio fiebat triumphi.  
Dabat infirmitas fortitudinem,  
lapsus palmam, ruina uictoriam.  
Cui haec conueniunt nisi Christo qui ad hoc cecidit  
ut gloriosior resurgeret?

Ambrosius libro III. de officiis.

Vnde Ambrosius ibi ait,  
quod licet fabula vim ueritatis non habeat,  
hanc tamen rationem habet,  
ut iuxta eam possit ueritas manifestari....  
Et de hac fabula dictum est in Communiloquio.  
Idem Ambros. lib. 6. in Lucae caput 9.  
commentario suo interserit aliam fabulam....  
Haec Ambrosius.

Similiter Augustinus introcit quendam fabulam  
lib. 2. Sermonum, serm. 27.

Referunt, inquit, litterae saeculares, quondam fuisse,

qui quotiens uirum suarum amicam  
et nutricem terram impulsu aduersarii contigisset,  
de solo surgens magis in aduersarium praeualeret,  
et sic occasus prostrati occasio fiebat triumphi.  
Dabat infirmitas fortitudinem,  
lapsus palmam, ruina uictoriam.  
Cui haec conueniunt nisi Christo? qui ad hoc cecidit,  
ut gloriosior resurgeret.

Iohannes Gallensis, *Compendiloquium*, 8.6.11-12  
(Rome, 1655, pp.393-4).

Sed fabula etsi uim non habet ueritatis,  
hanc tamen rationem habet ut si possit  
celare se uir iustus, tamen ita peccatum declinet quasi celare non possit,  
nec personam suam indutus anulum sed uitam suam Christum indutus abscondat,  
sicut apostolus ait quia: “Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.”

Ambrosius Mediolanensis, *De officiis*, 3.5.36  
(CCSL 15, M. Testard ed., pp.166-7, ll.79-83).

Refert autem et traditio saecularium litterarum, hoc: quendam,  
in exercitio usu que certaminis, habuisse hoc genus uirtutis ac roboris:  
ut, quotiens in luctamine succubisset <et> totiens uirum suarum amicam  
et nutricem terram impulsu aduersarii contigisset,  
de solo surgens magis ac magis in aduersarium praeualeret;  
ac sic deiectio prostrati, occasio fiebat triumphi:  
dabat enim ei quodammodo infirmitas fortitudinem,  
lapsus palmam, ruina uictoriam.

Puto haec illi caelesti athletae, qui contra iacob legitur fuisse luctatus,  
iustius aptari posse. Aestimo haec illius personae uerius conuenire:  
qui hoc in tempore in arena mundi cum publico hoste conflictit;  
qui ad hoc cessit, ut gloriosius surgeret; ad hoc cecidit,  
ut omnes eleuaret; qui aduersarium effusus obruit,  
prostratus elisit, iacentem que hominem deiectus erexit,  
mortem que eius dum succumberet perculit,  
ac mortuum dum resurgeret suscitauit.

Eusebius “Gallicanus,” *Collectio homiliarum*, 21.3  
(CCSL 101, F. Glorie ed., p.248, ll.20-35).